Effloreſcentia ſeu Fungulus Agariciformis ſeleniticus rubellus ê cavitate laterali inferiore faciei poſticæ Spondylolitharum, emergens extremitatibus laminularum candicantibus integram quaſi concamerationem occupans.

Effloreſcentia ſeu Fungulus Agariciformis ſeleniticus rubellus ê cavitate inter apophyſes Spondylolitharum ſita emergens, illamq; ſenſibiliter expandens.

Facies interna Cornuum Ammonis articuloſorum concameratorum cum apparente directione obliqua cavitatum ſuperiorum lateralium faciei anticæ Spondylolitharum verſus inferiora, ſicuti et cavitatis mediæ, inferioris cum apparente eiuſdem tubulo in medio conſtituto ex parte poſtica, cum effloreſcentiâ minore, ſeu fungulo Agariciformi rubello ex eadem cavitate emergente.